



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XLVI. Epistola Buggonis Episcopi Wormaciensis ad Canonicos  
Bambergenses.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

pimus veritatis libera professione, nec tribulatio, nec angustia, nec mors, nec vita nos separabit. In hoc enim, sicut scitis, positi sumus; in hoc nouum hominem induimus, ut mortificatione Iesu in corpore nostro circumferamus; ut propter ipsum in mortem tradamur: quatenus & vita Iesu in hac nostra mortali carne quandoque manifestetur. In hac ergo tam gloriosa spe, non deficimus, & de vestra constantia idem speramus, & inrimè optamus. Et qualia indigna \* passus sitis, ut ad memoriã sepe redueatis, horramur. Nolite nos vlterius longa expectatione suspendere, sed de vestra sententia scripto nos certificate.

\* passus, forse,

Salutar vos Dominus Choüno Prænestinus Episcopus, & Romanae Ecclesiae Legatus, qui Imperatorem, nec non Monasteriensem Episcopum, & Herimannum de VVitzeburc cum omnibus Galliae Episcopis in Concilio Beluacensi excommunicauit, & hoc vobis notum fieri præcepit. Eandem sententiam iterabit in prædictos, & in omnes complices eorum in Concilio Remensi, quod erit *Letare Hierusalem*, cum aliis tribus Episcopis noniter à Romana sede directis. Vale.

X L V I.

*Epistola Buggonis Episcopi Wormaciensis ad  
Canonicos Bambergenses.*



Onfratribus, & Dominis suis omnibus sacrosanctae Babebergensis Ecclesiae Canonicis, Buggo Dei gratia, VVormaciensis Ecclesiae electus, seruitium suum & orationes.

Memor vestrae fraternitatis, & dulcissimae educationis, fratres charissimi, recordatione vestri affectus partim ad lacrymas compungor, partim spe vestrae consolationis & subleuationis vehementer delector, dum hoc onere, quod suscepi, tam importabile meae ætati & insipientiae vestrum leuamen, & subsidium spero impetrare. Quapropter, quò magis de vobis cõfido, eò magis admiror, quò tanto tempore me filium vestrum, vobis per omnia obnoxium inter tot curas, quae me

pre-

prehunt, vt nostis, consolari distulistis. Et quia inde causa meroris & suspicionis mihi suboritur, & ideo per fraternam compassionem, & nostrum obsequium vos deprecor, vt apud Dominum nostrum Episcopum fidei interuentu causam meam agatis, scientes, quod in vestra, imò nostra Ecclesia laudem hoc redundabit, si vestro auxilio nostrum honorem diuina benignitas stabilire dignetur.

XLVII.

*Epistola Ruperti Episcopi Bambergensis  
ad Archiepiscopum Moguntinum.*

**D**omino & Patri sanctae Moguntinae sedis Archiepiscopi, Rupertus Dei gratia Babebergensis Episcopus cum instantia precum fidele seruitium. Nos proculdubio fore illos, in quos fines seculorum venerunt, ex ipsis in dies declaratur periculis. Nam vt caetera omittam, quibus absque morarum interuallis quatinur, imò consternamur, quid vnquam à barbarie nobis incuteretur atrocius, quam à nostra fidei Professoribus, qui vota fidelium, precia peccatorum, respectu diuini timoris postposito, quasi hereditario iure ad se transmissa suis vsibus addicunt? Et nos, quibus oblationum earundem credita noscitur dispensatio, vel miris irrident modis, vel in vincula coniciunt; vel, quantum in ipsis est, morte multare non perhorrescunt. En ego minimus Episcoporum vester, tamen in domo Domini qualiscunq; cooperator, quibus & quantis calamitatibus à Comite N. afficior? qui agros Ecclesiae meae, tanquam suos, per triennium, aut eo amplius praedatoria manu occupat. Quae cum nec iure nec gratia à tanto scelere possem reuocare, confratrum & fidelium meorum consilio, membrum lanians & persequens Ecclesiam Dei, secundum instituta Canonum à consortio eiusdem matris Ecclesiae gladio anathematis recidi. Quod idcirco vestrae sanctitati significare curauim, quatenus auctoritate diuinitus vobis collata, pertinaciae ipsius obuictis.

Ss 2 ne